



Dissertatio medica inauguralis de lichene Islandico

<https://hdl.handle.net/1874/321378>

4

LICHENE ISLANDICO

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

LICHENE ISLANDICO.

AVTORIS JOHANNIS DE ROSSO

ALPHABETICALLY ARRANGED

THE

NEW

EDITION

OF

THE

ALPHABETICALLY ARRANGED

OF

THE

THE

OF

4

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

LICHENE ISLANDICO.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

HERM. JOH. ROYAARDS,

THEOL. DOCT. ET PROF. ORD.,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN

MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

DEFENDET

LEONARDUS JOHANNA DE ROOCK,

Bergensis ad Zomam.

AD DIEM I JUNII MDCCCXLIX, HORA V.

TRAJECTI AD RHENUM,
APUD J. DE KRUIJFF.

MDCCCXLIX.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

THE HISTORY OF THE UNITED STATES

OF AMERICA

BY JOHN BRYAN

IN THREE VOLUMES

VOLUME I

FROM 1763 TO 1789

NEW YORK

1892

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

MATRI CARISSIMAE

Sacrum.

MARY CHRISTINE

1850

INTRODUCTIO.

Lichen est planta, quae nomen suum dedit, familiae plantarum naturali, ad genus acotyledonearum et cryptogamicarum Linnaei pertinenti.

Varia ejus genera antea a medicis, in variis morbis adhibebantur, nimirum Lichen apthosum, Lichen pixidium, lichen pulmonale, cet.

Quum vero hodie Lichene tantum Islandico utimur, hanc plantam, pro viribus describere mihi proposui; antequam vero, hoc opus aggredior, nonnulla quae de ejus historia, colligere mihi licuit, verbo memoranda sunt.

Antiquissimis jam temporibus regionum septentrionalium incolae in magna nutrimentorum penuria hac planta utebantur. Quum vero, propter amaritiam, non sine magno intestinorum detrimen-

to adhiberi possit, recentiores, et inter hos Berzelius, eam, sapore illo ingrato et noxioso liberare conati sunt.

Anno demum 1673, tamquam medicamentum commendatur, ab O. Borrichio; et Hjaerne ea, anno 1683, utebatur in curanda Haemoptisi et phthisi. Linnaeus autem, et Scopoli, inprimis effecerunt, ut inter plantas materiae medicae locum obtineret, postquam anno 1760 examini chemico fuerit submissa. Postea contra varios morbos est adhibita a Thromsdorfio, Kreichtonio, Bergio, Gonthierio Martino cet., qui ejus usum in pluribus morbis membranae mucosae pulmonum laudaverunt, quod mox fusius demonstrabimus.

PARS BOTANICA.

Lichenes JUSS., *Lichenaceae* LIND., *Cetraria Islandica* ACH., *Cryptogamia Algae* SYST. SEX., *Isländische Flechte*, *Moos*, *Lobaria Islandica* HOFFMAN, *Physica Islandica* DECANDOLLE.

Signa propria. Plantae perennes, quae inveniuntur, non tantum in pratis sed etiam in rupibus, arboribus, et in locis siccis, petrosis, nemorosis (1), tamquam substantia lobata et foliis similis, vel dura, crustata, vel coriacea, thallus seu receptaculum commune dictum. Hicce thallus constat e lamina corticali et medullari, quarum altera est cellulosa, altera cellulosa et filiformis.

(1) Swediaur, *Pharmacologia*. pars I, pag. 133.

Laminae corticales et medullares maxime differunt, quod ad formam attinet; differunt etiam quod ad colorem illae enim fere nullum habent colorem dum hae profundius coloratae sunt. In fronde fruticosa et foliis simili medulla manifeste est villosa, in hac, totam partem inferiorem occupat, in illa, cortice circumdata est. Generatio 1^o. fit sporulis, quae thecis continentur et nucleis inclusae sunt in substantiâ medullari, quae dehiscences per corticem in lucem prodeunt, durosque formant et parvos discos (apothecia;) aeris contactu profundius coloratos, qui secundum varias eorum formas, variis nominibus insigniuntur; 2^o separatione cellularum medullarium a telâ (1).

Signa propria Lichenes corticati et certe phylloïdes materiem continent amylaceam, *feculoïdum* vel *licheninum* dictam, qua nutriendi, emolliendi et involvendi vim acceperunt. Continent porro principium amarum *cetrarinum* dictum, cui proprietates tonicas debent. Plures lichenes, si cum solutione ammoniacali digeruntur, colores praebent pulcherrimos ad tingendum aptissimos.

(1) Lindley, met bijvoegsels.

Notae generales: Thallus communis, phylloides, cartilagineo-membranaceus, ascendens et plane explanatus fissus et laceratus, ab utraque parte mollis et nudus: Apotheciae circulares, oblique margini thalli affixae; pars inferior libera, non thallo affixa. Discus coloratus et plane excavatus est; margo a Thallo formatus, introrsum flexus (1).

Notae speciales: Thallus perpendicularis, holosericeus, ab altera parte fuscus, leviter coloratus, laceratus, canaliculatus, ciliato-dentatus; laciniae fructiferae latissimae; Apotheciae fuscae sunt, oppressae, planae et margine eminente cinctae (2). Vegetabile illud, non ut nomen indicare videtur, tantummodo invenitur in Islandia: crescit enim abundanter, in regionibus septentrionalibus et montanis novi et veteris orbis, nec non in pluribus Galliae montibus observatur. Etiam in Hibernia, magna copia invenitur, nec tamen ibi. ad mercaturam faciendam colligitur.

Lichen Islandicus format caespites parvos, et

(1) Hooker.

(2) J. Pereira, *Beginnellen der materia medica en der theographie*, D. II.

densos, poll $1\frac{1}{2}$ ad 4, in pratis vero latiore[m] acquir[it] ambitum.

Ex urbibus Hamburgo et Gothiburgo in nostram patriam adfertur ac dicitur e Norvegia et Islandia oriundus esse.

Nothae physicae: Lichen Islandicus venalis, colorem habet fuscum, sive griseo-album, et maculis albis, farinaceis tectus est; raro apotheciae in eo inveniuntur. Nullum fere odorem, saporem vero leviter amarum habet. Ejus farina colorem habet griseo-album.

PARS CHEMICA.

Plurimi Chemici notissimi saepe Lichenis analysis instituerunt, imprimis Ebelingius, Trommsdorffius, Kramerus, Proustius et Berzelius.

Secundum Proustium, lichen continet, 64 partes substantiae, quae aqua calida, non solvitur et glutini vegetabili similis est. 53 partes substantiae insolubilis et similis amylo. 5 partes substantiae amarae extractivae (1).

Analysis a Berselio instituta, anno hujus seculi VIII, sic se habet.

(1) Annales de Chimie et de Physique, Tom. LVII, pag. 196.

Lichen Islandicus constat e Lichenini pp.	44,6
Cetrarini »	3,0
Sacchari inchrystallisabilis »	3,6
Chlorophylli »	1,6
Materiei extractivae »	7,0
Gummi »	3,7
Bilichenatis potassae et calcis cum phosphate calcis »	1,9
Fibrae vegetabilis »	36,2
	<hr/>
	101,6

Materies propriae, quae in iis inveniuntur, sunt Lichenum et Cetrarinum.

Licheninum, etiam feculoidum dictum, primum a Berzelio chemice investigatum est. Guerin Varray primus ejus analysin instituit et ejus compositionem hac formula adumbravit: $C^{10} H^{11} O^{10}$.

Postea ejus analysin insuit Pagenius, et lichenini ad gradum 180° exsiccati formulam obtinuit, $C^{12} H^{\circ} O^{\circ}$.

Mullerus vero ostendit eam materiem chemice ab amylo non differre et, si calore 120° exsiccatur, constare e $C^{12} H^{10} O^{10}$.

Licheninum non modo in Cetraria Islandica, sed etiam in Lichene Plicato, Lichene Barbato et

aliis Lichenis speciebus invenitur, cum parva quantitate Inulini mixtum.

Dubitandum autem est, utrum licheninum jam formatum in ipsa planta adsit, an vero exinde oriatur, quod cum aqua calida mixta, ex ea prodeat materie, quae praeter partem cellulosa, massam principalem Lichenum efficit.

Videtur saltem Licheninum non, sicut amyllum officinale, in cellulis esse positum.

Reperiuntur quidem in plantis parvi globuli, non vero secundum observationes Mayeri eâ copiâ, ut exinde magnam lichenini quantitatem, quam si Lichenem cum aqua coquimus, acquirimus, derivari possumus. Fortasse, licheninum, directe oritur, ex parte cellulosa (1).

Secundum Mullerum et Payenium Licheninum ex Lichene Islandico non est materies propria chemica, sed continet Inulinum, licet quantitate exigua. Praecipitato decocto Lichenis, cum subacetate plumbi, inulinum solvitur. Exiguam quantitatem inulini, quae in Lichenis decocto reperitur,

(1) Chemie der Organischen Verbindungen, von Carl Löwig, I. B. pag. 378.

comparans cum colore viridi, quem ab Iodio, accipit Mullerus dicit, praeter amyllum vulgare, (quod tanquam stratum coeruleum in decocto leviori lichenis cum Iodio, post aliquod temporis spatium, se ostendit,) cum inulino, etiam tertiam speciem amyli in Lichenino adesse, quae cum exigua Inulini quantitate flavum stratum in fundo decocti supra laudati format, et quae aequae ac amyllum, addito acetate plumbi praecipitatur: differt tamen ab amylo, si enim cum Iodio in contactum venit non coeruleo sed flavo tingitur colore, aequae ac Inulinum (1).

Licheninum paratur, si Lichenem post digestionem cum solutione Carbonatis potassae, quo facto a principio amaro liberatur aqua coquimus. Decoctum nondum refrigeratum colatur, nullum habet colorem et refrigeratione in massam gelatinosam concrevit, quae siccata, materiem nigram, duram, fragilem et insipidam refert, aqua pura addita, iterum in gelatinam excrescentem.

Ut autem purum acquiratur aqua calida solvi-

(1) Pereira, Over voedsel, voeding en spijsregel, bladz. 154.

tur, et solutio filtrata cum alcohole miscetur, quo facto, licheninum purum praecipitatur.

Si Licheninum sic paratum exsiccatur, sequentes proprietates habet.

In aqua frigida vix solubile est, in alcohole et aethere vero plane insolubile. Aqua fervida affusa, in gelatinam decolorem et insipidam mutatur, quae proprium Lichenis odorem spargit.

Si cum acidis dilutis digeritur easdem subit mutationes, quas amyllum officinale.

Si autem solutio aquosa diutius coquitur Lichenum refrigeratum non amplius in gelatinam abit.

Licheninum temperatura aucta et destillatione sicca eandem, quam amyllum, subit mutationem.

Si cum acido Nitrico digeritur in acidum Saccharicum et acidum Oxalicum mutatur. Addito Iodio, flavo tingitur colore. Alcalia facile cum eo conjunguntur (1).

Principium amarum primum a Berzelio separatum a Herbergerio accuratius investigatum est, qui ei Cetrarini nomen dedit.

(1) *Chemie der Organischen Verbindungen*, von Carl Löwig, I. B., 380.

Haec materies deinde a Rigatellio, tandem a Knoppio et Schneidermanno investigata est, qui eam acidis adnumerandum esse demonstrarunt, eique nomen acidi cetrarici dederunt: detexerunt porro aliud acidum cum eo conjunctum esse, quod difficilius aqua solvitur, quodque acidum lichestericum vocarunt.

Acidum Cetraricum sequenti ratione separatur.

Lichen perfrangitur, miscetur cum alcohole fortiori, deinde huic mixturae pro quoque kilogramm. Lichenis 15 gr. Carbonatis Potassae adduntur.

Massa in apparatu destillatorio per quartam horae partem coquitur; deinde alcohol separatur et reliquiae adhuc fervidae exprimuntur; Alkali acidi Hydrochlorici ope saturatur et liquori quintuplex aquae quantitas additur, quo facto, praecipitatum oritur, quod ex Acido Cetrarico, acido Lichesterico, materie neutra crystallisabili et parte quadam Chlorophylli constat. Hoc praecipitatum, colato liquore, separatur et aqua bene alluitur. Deinde coquitur cum decuplici quantitate alcoholis 0,92 ponderis specifici, quod acidum lichestericum pro maxima parte solvit, non vero

acidum cetraricum, chlorophyllum nec materiem neutram crystallisabilem.

Decoctum fervidum filtratur et pars quae non solvitur bis eodem modo tractatur.

Materies insolubilis, quae remanet ex acido cetrarico, chlorophyllo et materiae illa neutra crystallisabili constat, ex ea chlorophyllum aetheris sulphurici ope separari potest.

Nunc massa superest cinerea quae minima fervidi alcoholis quantitate solvitur. Haec solutio miscetur cum carbone animali et calida filtratur.

Refrigeratione materies saluta magna pro parte iterum separatur, quae eodem modo tractatur donec omnem amisit colorem. Materies decolor, quae hoc modo acquiritur, ex acido Cetrarico, cui materies neutra crystallisabilis admixta est, constat.

Acidum Cetraricum a materie illa separatur, si solvitur in solutione carbonatis potassae et haec in lagenam acidum hydrochloricum dilutum continentem stillatur. Hoc modo lagena impletur acido carbonico et aer atmosphericus expellitur, qui igitur in alcali cetraricum vim habere non potest.

Nunc acidum Cetraricum floccis albis separatur, qui aqua bene abluuntur et exsiccati in parva alcoholis calidi quantitate solvuntur, qua solutione refrigerata, acidum cetraricum forma aciculorum crystallinorum decolorium separatur.

Acidum sic cristallisatum et siccatum massam format albam, splendentem, habet saporem valde amarum, diu permanentem, aqua non solvitur neque volatile est; si vero calori majori exponitur nigrescit, tumet et decomponitur. In aqua fere insolubile est, quae quidem ejus saporem accipit. Alchhole fervido optime solvi potest. Sed refrigeratum iterum maxima pro parte separatur. Aethere difficile solvitur; Oleis pinguibus et volatilibus insolubile est.

Non continet aquam, quae calore potest expelli.

Secundum analysin Knoppii et Schneidermanni hocce acidum constat.

	Atom.	Proc.
Carbonio . . .	54	60,05.
Hydrogenio . .	52	4,69.
Oxygenio . . .	15	35,26.

Pondus atomisticum 4253,76.

Acidum Cetraricum ex salibus alcalinis expellit acidum Carbonicum et cum iis format salia

flave colorata et valde amara, quae aqua et alcohole solvi possunt.

Facile ex eo salia sic dicta acida sive bicetrates parantur.

Si solutioni alcoholicae bicetraratis potassae chloruretum ferri additur rubrum, si vero cum chlorido ferri miscitur praecipitatum profunde rubrum oritur, dum liquor colore sanguineo tingitur.

Nitrate cobalti addito, colorem fusco-rubrum acquirit: cum Chlorido cupri praecipitatum lacte viride, et cum Nitrate argenti, album oritur.

Si cum solutione Chloridi Platini miscetur post duodecim horas praecipitatum violaceum, cum solutione vero chloridi auri, nigrum subsidit. De-componitur aëre, calore et acidis fortioribus, quod ex mutato colore patet.

Acidum Lichisticum, ut supra vidimus, a Knoppio et Schneidermanno primum separatum est, qui ei propter similitudinem, quam cum acidis pinguibus habet, illud nomen, a Graecis ver-vis *λείχην* et *στέαρ* derivatum, dederunt.

In praeparando acido Cetrario si cum alcohole coquitur ad 0,92 p. sp. solutionem acquirimus

ex qua concrescit crystallisatum redditur autem purum si iteratis vicibus solvitur in alcohole ad 0,45 et denuo crystallisatur.

Acidum Lichistericum nullum habet colorem et crystallisatur in particulis quadratis quae exsiccatae levem et tenuem massam constituunt frondosam, conchae margaritiferae splendorem referentem.

Acidum illud odore caret, saporem vero habet acrem; mordacem non tamen amarum.

Si calori 120° exponitur in fluidum oleosum mutatur, quod refrigeratum denuo in massam crystallinam transit.

Liquefactum non fit levius neque volatile, et destillatione sicca decomponitur.

Aqua solvi non potest alcohole vero solvitur, nec minus facile aethere et oleis pingnibus et volatilibus.

Acidum Lichistericum constat:

	Atom.	Proc.
Carbonio . . .	29	73,152.
Hydrogenio . .	48	10,058.
Oxygenio . . .	5	16,790.

Pondus atomisticum = 2798,0 acidum crystallisatum 3,63 proc. aquae continet.

Multo debilius est acido cetrarico sed lichesterrates non aeque ac cetrarates sponte decomponuntur si aeri atmosferico exponuntur.

Salia ejus alcalina saponis instar solutiones praebent spumosas (1).

Non opus est ut de reliquis principiis proximis, e quibus Lichen Islandicus constat, dicamus, quippe quae etiam in aliis plantis inveniantur, quorumque proprietates chemicae satis notae habendae sint.

(1) Cf. J. J. Berzelius, Lehrbuch der Chemie, 4 B., pag. 582.

PARS DIAETETICA.

Lichenis usus duplex est, primo ut alimentum secundo ut medicamentum adhibetur.

Quamquam nos eo parum ut nutrimento utimur, tamen a nonnullis scriptoribus valde commendatur cujus rei exemplum praebent literae, quas Proustius anno 1805 Vaugelino misit (1).

Engagez donc » inquit » les botanistes de Paris a rechercher cette plante, et faites en manger à vos amis. C'est un légume excellent. Je crois en avoir vu autrefois à Vincennes ou dans le bois de Boulogne. Une livre de ce Lichen sec donne trois livres d'herbe cuite bien égouttée, qu'on

(1) Annales de Chemie, 28 Févr. 1806, Tom. LVII, pag. 196.

peut manger à l'huile, au beurre, et sans doute de beaucoup de manières. On en a déjà mangé six fois dans ma maison, et tous mes amis s'en sont bien accommodés.

Videntur incolae regionum septentrionalium, ubi cerealia aliaque nutrimenta rariora sunt, Lichene vesci, nec mirum, sunt enim auctores, qui credant una parte lichenis non minorem principiorum nutrientium copiam contineri quam duabus partibus tritici (1).

Cum Fabricio igitur faciendum est quum dicit Lichenem omnino cortici pinorum, quo nonnullae gentes septentrionales vescuntur, praefendum esse.

Ejus usum etiam magnam vim habere in organismum animale exinde apparet, quod Norvegiae incolae, qui Lichene utuntur minus obnoxii sunt Elephantiasi, quam homines, qui piscibus vescuntur, quod a Do. Petersen affirmatur.

Jure statuere possumus aptum esse et hominibus et animalibus alimentum, quum in Carniola

(1) Dictionnaire universel de matière médicale et de Thérapeutique générale, par T. V. Méral et A. J. de Lens, pag. 100.

adhibeatur ad porcos pinguefaciendos et ad boves equosque corroborandos, quod testatur Buffonius hisce verbis.

Car cette mousse blanche, qui fait surtout pendant l'hiver son unique aliment, est un lichen dont la substance semblable à celle de la morille ou de la barbe de chèvre, est très-nourissante et beaucoup plus chargée de molécules organiques, que les herbes, les feuilles ou les boutons des arbres, et c'est par cette raison, que les femelles et les hongres n'en sont pas dépourvus; c'est encore delà, que vient la grande variété qui se trouve dans la grandeur, dans la figure et dans le nombre des andouillés et des rameaux du bois des rènes; les mâles, qui n'ont été ni chassés ni contraints et qui se nourrissent largement et à souhait de cet aliment substantiel ont un bois prodigieux; il l'étend en arrière presque sur leur croupe et en avant au delà du museau (1).

In parte chemica jam vidimus, Lichenem continere principium amarum, quo fit ut saporem

(1) Oeuvres complètes de Buffon et de ses continuateurs, Tom. IX, pag. 160. Histoire naturelle de l'élan et du rène.

valde ingratum habeat, hanc ob rem etiam antea modo uti medicamentum adhibebatur neque homines eo vescebantur nisi alia deessent nutrimenta. Postquam autem Westringius docuit ope carbonatis potassae lichenem a principio amaro liberari posse, nullum est dubium quin ex eo, non minus quam ex aliis substantiis, quae amyllum continent, alimenta suavissima possent parari. (1)

Nititur haec methodus conjunctione acidi Cetrarici cum potassa. Jure igitur statuere possumus Lichenem usui domestico omnino aptum esse praesertim quia, parvis modo sumtibus impensis, praeparari potest, quam sententiam sequentibus Berzelii verbis probare liceat (1).

Ce lichen est sans contredit un meilleur aliment que tous les autres végétaux frais, excepté les céréales. Il pourrait être d'une grande ressource à bord des bâtiments. Je suis convaincu, que si notre flotte en avait été pourvu l'été dernier, les maladies eussent fait moins de ravage. Il peut fournir encore un bon légume d'hiver, même pour la table des personnes aisées.

(1) Annales de Chimie et de Physique, Tom. XC, pag. 320, anno 1814.

Il faudrait faire réduire le lichen en farine grossière après l'avoir fait bien sécher.

Quae Berzelii verba, inprimis quod attinet ad lichenis usum in navibus, non parum affirmantur notissimis factis Jani Franklini ejusque sociorum.

(1) Cf. Narrative of a Journey to the Shores of the Polar Sea, pag. 414. 1823.

PARS THERAPEUTICA.

Lichen, quod ad ejus proprietates pharmacodynamicas attinet, ad remedia amaro-mucilaginosa referendus est, quod imprimis cetrarino et feculoido debet. Possidet igitur proprietates tonicas, roborantes, quae vim reproductivam atque actionem systematis muscularis et vascularis augent, ita ut ab ejus usu nunquam oriri possit atonia.

Inprimis agere videtur in organa respirationis et digestionis, eorumque secretiones nimias ex atonia vasorum ortas cohibet, quod praesertim valet de nimis copiosa mucii vel mucii purulenti secretionem, quae in membrana mucosa pulmonum observatur.

Non tamen semper adhiberi potest, contra in-

dicatur enim si irritatio systematis vasorum adest; e. g. in febre, in inflammatione locali cet:

Auctore Richtero adhibendus est in morbis sequentibus.

I. In omnibus casibus ubi debilitas et emaciatione observatur, praecipue in stadio reconvalescentiae post febres vel alios morbos acutos: etiam si vires diminutae sunt, post salivationem mercurialem, diarrhaeas, haemorrhagias, excessus in venere caet. nec minus in statu hecticico post vulnera majora et ulcera.

Si autem irritatio systematis vascularis nimis aucta est, non semper bonum effectum habet ita ut hoc in casu alia medicamina adhibenda sint animalia et vegetabilia minus irritantia et corroborantia.

Praeferendus est contra omnibus aliis medicamentis si respirationis organa affecta sunt, in ejusmodi casibus optimum habebit effectum conjunctus nempe cum aliis tonicis et quidem cum cortice Peruviano.

II. *In phthisi pulmonali.* Quamquam ejus usus in hoc morbo notissimus est non tamen semper adhiberi potest. Plurimum valere videtur

in phthisi pituitosa, in qua imprimis adhiberi potest, si morbus lento gradu, procedit: si sputa magis mucosa quam purulenta, tenuia, gelatinosa, et copiosa sunt nec non facile ejiciuntur, si porro irritatio pulmonum, antea observata sublata est et vera debilitas, quae medicamine roboranti sanari potest, remansit.

Aliquoties in tali casu morbus plane sanatus est. Si contra organa respirationis irritata sunt repetito tussis spasmodicae impetu, si dolores accedunt pungentes in pectore, et sputa sanguine tincta, in adhibendo lichene prudentes esse nos oportet, quum saepissime ab aegro ferri nequeat. In genere rarius adhiberi potest si adest tuberculosis pulmonum, praesertim si tubercula jam in emollitionem transierunt, quia tunc saepe irritatio adest, si vero sputa sunt copiosa, nec dolor in pectore sentitur, tuto lichen praescribi potest. In tali casu remedium palliativum habendum est et demulcendi causa a principio amaro liberatus propinari debet. Sine periculo lichene etiam uti possumus in ulcerationibus pulmonum quae post laesiones externas ortae sunt. In tubercula pulmonum nullam vim salutiferam habere videtur

sed ut medicamentum prophylacticum contra phthisin pulmonalem commendatus est. Sic praescribitur post inflammationem pulmonum, si pulmonibus sanatis tamen propter debilitatem topicam sputa nimis copiosa secernuntur: etiam post haemoptoën, imprimis si ex consuetudine saepius redit, nec conditio phlogistica adest. In pectoris affectionibus v. g. post febres nervosas, gastricas, biliosas, post morbillos et scarlatinam, si magna sputorum copia ejicitur; post catharrum pulmonum chronicum, si propter copiosam expectorationem metus adest ne phthisis oriat, etiam in ultimo tussis convulsivae stadio, quando, sublata conditione spasmodica, nihil nisi expectoratio nimis copiosa remansit.

Lichen semper contraindicatur si adest dolor topicus punctorius in pectore nec minus praesente febre. In ejusmodi casibus morbi symptomata lichenis usu augentur, crescit anxietas et respiratio difficilior redditur, nec minus sudores augentur, dum expectoratio quae critica videtur, aegroque levamen affert, diminuitur.

In omnibus casibus in quibus ejus usum commendavi non nisi doses majores revera aegris utiles habendae sunt.

Saepe cum aliis medicaminibus conjungendus est, praesertim cum cortice Peruviano, Stipitibus Dulcamarae, Sem. Phellandrii aquatici, Radice Polygalae Senegae, Radice Ipecacuanhae, quin etiam cum parva Opii dosi v. g. in tussi catarrhali chronica.

Quum vero fortasse erunt, qui de magna lichenis efficacia in sanandos nonnullos pulmonum morbos dubitent, Verba Clar. Giacomini citare lubet. (1)

Dans une artéro-pneumonite que d'après l'inspection des crachats je croyais être passée en suppuration, j'ai obtenu par la seule action du Lichen à haute dose, une guérison inespérée. Dans cette occasion j'ai eu à remarquer, que le lichen, donné à forte dose; abaisse notablement le pouls, rend la tête lourde, et engourdie et augmente les évacuations alvines. Je me suis expliqué les prétendus miracles que certains auteurs attribuaient au Lichen, dans les cas de Phthisie et j'ai cru, comme je crois encore qu'il n'était question

(1) Dictionnaire des dictionnaires de médecine sous la direction du docteur Faber, tom. V. pag. 385.

dans leurs récits, que d'artéro-bronchites ou de pneumo-artérites chroniques non encore passées à un état d'altération organique bien prononcée. Que si de nos jours, les guérisons à l'aide du lichen, sont devenues beaucoup plus rares, c'est que beaucoup de praticiens après avoir prononcé le mot fatal de phthisie, ne se soucient point de connaître, quelle est des nombreuses conditions morbides désignées sous ce nom abstrait, celle qui serait susceptible de guérison, et qu'ils n'administrent le lichen qu'à petites doses, et comme un accessoire du traitement, et qui plus est, dépouillé de presque tout son principe actif.

Eadem fere opinionem emisere D. D. Mérat et de Leus. (1)

Legimus enim in lexico medico, quod ediderunt : Cependant, il ne faut pas s'abuser ; jamais ce lichen ni aucun médicament n'a guéri la phthisie pulmonaire, surtout tuberculeuse ; seulement nous dirons avec Murray, qu'il adoucit la toux, calme la fièvre hectique, améliore l'expectoration, diminue les sueurs colliquatives et qu'il est bon dans l'asthme humide etc.

(1) Cf. tom. IV. L—N. pag. 101 anno 1832.

Ex quibus dictis apparet usum lichenis Islandici, quam maxime commendandum atque optandum esse ut observationes de ejus efficacia sacpius publici juris fiant.

III. *In asthmate.* Quamdiu in hoc morbo adest conditio phlogistica, lichen magis nocet quam prodest; hac vero conditione sublata, si mera atonia pulmonum adest aut jam ab initio adfuit utilissimum remedium habendum est.

Asthma quod post hydrothoracis sanationem remanere potest, adhibito lichene, nonnumquam prorsus sanatur; commendandum etiam est illud medicamentum in asthmate post inhalationem vaporum nocentium.

IV. *In Diarrhaea.* In hoc morbo saepe demulcendi causa adhiberi potest, praesertim quia propter principium amarum quo gaudet, non adeo debilitat, quam alia medicamenta mucilaginosae. Porro si ulcera intestinalia adesse suspicamur, nihil obstat quo minus tentemus, quid ejus usus valeat. In dysenteria vero tunc demum commendandus est Lichen, quando morbus chronicus factus est, quo in casu propter virtutes tonicas, quibus gaudet, ac simul cum Aqua Calcis praec-

scribi potest. Etiam in blennorrhæa intestini recti, in fluxu coeliaco et hepatico, nec non in lienteria prodesse illud medicamentum observarunt Viri Docti, quibus in casibus, pro re nata, cum Rad. Rhei, Cort. Cascarillae, Cort. Simarubae, Rad. Arnicae, Lign. Campechiano, quin etiam cum dosi minore Rad. Ipecacuanhae vel Opii conjungendum est.

V. *Uti antidotum venenorum acrium.* Hoc in casu tamen lichen aliis remediis mucilaginosus praefendus non est, quin etiam propter principium amarum, quo gaudet, nocere poterit, si jam adest inflammatio mucosae intestinalis. (1)

Saepe etiam adhibetur in morbis systematis uropoëtici V. C. in ulceratione renum, et vesicae urinariae, praesertim si organorum atonia, qua mucii secretio nimis copiosa evadit, observatur: hanc ob causam e. g. ad nephritidem pituitosam sanandam adhiberi potest. Auctore Quarino, conducit etiam lichenis usus si ulcus uteri adest. Tandem ab aliis propter principium ama-

(1) Ausführliche Arzneimittellehre Handbüch für praktische Aerzte von Dr. G. A. Richter, 1 band pag. 130.

rum laudatur uti remedium stomachicum, antarthriticum, febrifugum et anthelminticum.

Medici Francici, Dufour et Marie Saint-Ursin, licheni eundem ac chinino locum vindicaverunt. Saepe lichen adhibetur, addito Cortice Peruviano, post febres intermittentes, in ultimo stadio Typhi, nec minus in stadio reconvalescentiae morborum acutorum si vires refocillandae sint.

Forma qua adhibetur varia est. Plerumque tamen decoctum vel gelatina Lichenis Islandici praescribitur. Decoctum ex unc. j parari potest si cum s. q. Aquae vel Lactis ad Colaturam unc. xii coquitur.

Discrimen tamen est inter decoctum, sine, et cum principio amaro; illud acquirimus, si lichenum ante coctionem per nycthemeram aqua, qua parva carbonatis potassae quantitas soluta est, maceramus.

Adhibetur quoque cum stipitibus dulcamarae, sem. Phellandrii aquatici, rad. Liquiritiae, rad. Helenii, rad. Polygalae amarae, resina Myrrhae, cort. Cascariillae, cort. Peruviano, et in primo stadio phthisis, cum rasura cornu cervi.

Gelatina, aequa ac decoctum, cum, vel sine principio amaro praeparari potest; acquiritur si decoctum leni calore concentratur; praeterea alia, quae saporem minus ingratum reddunt addi possunt.

Quod adusum attinet omnino facio cum Clar. Orfila, cujus haec est sententia. (1)

On l'administre en décoction et mieux encore sous la forme de gelée. Nous avons été souvent à même de reconnaître l'efficacité de cette dernière préparation administrée à forte dose, et nous sommes persuadés qu'elle n'a été jugée inefficace que par les praticiens, qui en ont seulement fait prendre quelques petites cuillerées par jour. Nous avons donnée avec le plus grand succès dans les toux invétérées, chez les personnes disposées à la phthisie une livre de gelée de lichen avec autant de lait; le malade prenait cette boisson en trois doses dans les vingt quatre heures.

(1) Elements de Chimie appliquée a la médecine et aux arts, par M. P. Orfila, Edit. 2. tom. II. pag. 309.

Apud nonnullos scriptores v. c. apud Soubeiran (1) alii occurrunt modi praescribendi, qui tamen minus in usu sunt, sic e. g. cocciolata, Syrupus, Gelatina exsiccata et Trochisci Lichenis Islandici praeparantur.

(1) Nouveau Traité de Pharmacie théorique et pratique par Soubeiran, tom. II. pag. 164. seq.

TANTUM.

THESES.

I.

Non omnibus in casibus Phthisis, Lichen Islandicus adhiberi potest.

II.

Medicinae scientia, iudicibus est utilis interdum necessaria.

III.

Psychica, optima morbi hypochondriaci cura.

IV.

Hepar minus ad digestionem quam ad sanguificationem confert.

V.

Balnearum usus, nostra in patria, temere negligitur.

VI.

Nemo medicinae internae inperitus, bonus chirurgus esse potest.

VII.

Remedia quo simpliciora, eo meliora.

VIII.

Plantae quae ad eandem familiam naturalem pertinent saepe maxime differunt, quod attinet ad earum virtutes therapeuticas.

IX.

L'existence de la grossesse étant la cause première de l'éclampsie, il est évident que c'est dans l'évacuation de la matrice que l'accoucheur doit espérer trouver, dans les cas graves, la ressource la plus puissante.

P. Cazcaux.

X.

Cursus et equitatio aliquae corporis motus ad optima pertinent prophylactica contra phthisin tuberculosam.

XI.

Musices in Medicina magna saepe utilitas observatur.

XII.

Exanthematum neonatorum mundities optima prophylaxis.